



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput decimum sextum. Jesus habitat Nazarethum, & Nazaraeus
appellatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Math. 2. 16.

fert nonnulla. Equidem Antipatrum à Macrobio notari existimo; sic tamen ut non duas in unum confuderit historias, sed unicam historiam, eamque distinctam ac veram narraverit. Nam quod scribit occisum eum fuisse inter pueros Bethlehemitas, non sic intelligendum est, quasi unus fuerit ex his pueris; sed quo tempore trucidati illi sunt, eodem & hunc morte fuisse affectum. Inane ergo est quod objicit Grotius, Antipatrum jam provecum ætate, quique Bethlehemi non erat, cum interficerentur Bethlehemitici infantes, non satis recte dici inter eos fuisse occisum. Cædes modo Antipatri & infantum eodem circiter tempore, ejusdemque hominis jussu patrata sit, etiamsi magnum inter hos, illumque fuerit discrimen ætatis, nec eodem loco cæsi sint, jure dicitur inter illos fuisse necatus: cum præsertim non intra Bethlehemi oppidi muros laniena hæc grassata sit, sed omnes ejus fines fuerit pervagata, ut habet Evangelista. Addit Grotius Antipatrum quinto ante Herodis mortem die fuisse occisum: *μαθουλοβια* autem aliquanto ante contigisse, idque intelligi ex eo quod defuncto Herode in patriam ex Ægypto statim Joseph cum Jesu & Maria redierit. Si tempora recte distinxeris, plana omnia sient. Nam post discesum Magorum, de capefenda in Ægyptum fuga admonitus Joseph ab Angelo, illuc statim profectus est. Secuta est deinde aliquanto post *μαθουλοβια*. Hanc excepit Antipatri interitus. Extinctus est quinto post die Herodes ipse. Rumor postmodum confusus, ut fit, & indistinctus de cæde infantum & Antipatri dissipatur, venitque ad Augustum; qui re nondum accurate explorata, neque discrimine locorum, aut facinoris modo, caussive intellectis, memor jam duos ab Herode filios prius interfectos, Alexandrum & Aristobulum, Melius esse dixit Herodis porcum esse, quam filium. Instat Grotius, atque dictum ad Antipatri cædem, non ad *μαθουλοβια* pertinere, atque inde apparere prius illud solum ad Augustum esse perlatum, Macrobius vero illuc *μαθουλοβια* mentionem perperam atexuisse. Quod ita se habere non concedimus: nam ut atrocius Augusto visum est, Herodem in provecta jam ætatis filium, regni que sui successorem testamento designatum, ac suæ jam dignitatis participem sævisse, quam in ignobile puerorum vulgus, ita illud potius dicto falso, quam istud profectus est. Fortasse & de *μαθουλοβια* quid sentiret adjecit, sed à Macrobio, vel ab eo unde acceptit Macrobius, prætermisum hoc est, cui jocos tantum Augusti referre fuerat propositum. Constet ergo hac in parte sua fides Macrobio, qui illustri testimonio Evangelicam hanc historiam asseruit.

CAPUT XVI.

Jesus habitat Nazarethum, & Nazareus appellatur.

JUDIC. 13. 5, 7. *Concipies & paries filium, cuius non tanger caput novacula: erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero; & ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum. Ecce concipies & paries filium, cave ne vinum bibas, nec siceram, nec aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazareus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ, usque ad diem mortis suæ.*

ISA. 11. 1. *juxta Ebraicum exemplar: Et egredietur virga de radice Jesse, & Nazareus de radice ejus ascendet.*

ISA. 53. 2. *Et ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti.*

MATTH. 2. 22, 23. *Admonitus (Joseph) in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate qua vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur.*

LUC. 9. 39, & seq. *Et ut perfecerunt (Joseph & Maria) omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat. Et descendit (Jesus) cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

CAPUT XVII.

Johannes Christi præcurfor.

ISA. 40. 3, & seq. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur.*

MATTH. 3. 1, & seq. *In diebus autem illis venit Johannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens, Pœnitentiam agite,*